

huic explicationi nil veniret metuendum ab illis, quibus impetebatur Averroës argumentis. Nam quod primum attinet, quando Aristoteles actus secundi exemplum posuit *ἡ δὲ ψυχή* potest id optime notare formam in actu secundo per speculationem constitutam. Alterum quod attinet, dupliciter responderi posset (1.) quando Aristoteles animam definivit per actum primum, id esse intelligendum de aptitudine ad non operandum, & hanc aptitudinem ad non operandum, ipsi necessario & semper competere. Vel (2.) per actum primum ab Aristotele ibi non intelligendum actum primum hoc modo sumptum, sed actum primum ibi idem esse, quod actum primarium corporis Physici organici, qui primario & præcipue intendatur, qualis est anima, uti actum primum hoc modo explicant Rodericus de Arriaga, & Franciscus de Oviedo. ille d. l. A. sect. 1. n. 2. p. m. 424. Hic vero controv. 1. A. punct. 1. n. 2. p. m. 4. Sed hæc dubitationis gratiâ apposui, quæ tamen accuratioribus dijudicanda relinquo. Si quis dicere velit etiam potentiam in actu constitutam, esse actum primum, per nos licet id adscerere.

§. 27.

Alii sunt, qui rationem actus primi in eo constituent, quod scilicet, sit forma, quæ in aliquo non ut operatio inest. Actus vero secundi descriptionem retinent, quod sit forma, quæ inest ut operatio. In ratione actus primi *ἡ δὲ ψυχή* non ut operatio inest, non ita explicant, quod illa forma, quæ dicitur actus primus, neque importet operationem, neque negationem operationis, sed ab utroque esse præcisam & cum utroque stare, hoc est sive operetur sive non. Porro vocem operationis extendunt etiam ad passiones, quatenus pro actione & passio-